

CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES
UNIVERSITY OF TORONTO

Level One Medieval Latin Examination

5 September 2012

Translate **ALL FOUR** passages. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is **NOT** permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. **DO NOT USE PENCIL.**

1. The dispersal of the tribes of Israel

Eodem tempore vocavit Iosue Rubenitas et Gadditas et dimidiam tribum Manasse dixitque ad eos: “Fecistis omnia quae vobis praecepit Moses famulus Domini, mihi quoque in omnibus oboedistis, nec reliquistis fratres vestros longo tempore usque in praesentem diem, custodientes imperium Domini Dei vestri. Quia igitur dedit Dominus Deus vester fratribus vestris quietem ac pacem sicut pollicitus est, revertimini et ite in tabernacula vestra et in terram possessionis quam tradidit vobis Moses famulus Domini trans Iordanem, ita dumtaxat ut custodiatis attente et opere conpleatis mandatum et legem quam praecepit vobis Moses servus Domini, ut diligatis Dominum Deum vestrum et ambuletis in omnibus viis eius et observetis mandata illius adhereatisque ei ac serviatis in omni corde et in omni anima vestra”; benedixitque eis Iosue et dimisit eos, qui reversi sunt in tabernacula sua. Cumque Josue dimitteret eos in tabernacula sua, et benedixisset eis, dixit ad eos: “In multa substantia atque divitiis revertimini ad sedes vestras.”

2. A remedy for Latin verse anxieties

Iam lucis orto sidere,

statim oportet bibere:

bibamus nunc egregie

et rebibamus hodie.

Quicumque vult esse frater,

bibat semel, bis, ter, quater:

bibat semel et secundo,

donec nihil sit in fundo.

Bibat ille, bibat illa,

bibat servus et ancilla,

bibat hera, bibat herus:

ad bibendum nemo serus.

Potatoribus pro cunctis,

pro captivis et defunctis,

pro imperatore et papa,

bibo vinum sine aqua.

Hec est fides potatica,

sociorum spes unica,

qui bene non potaverit,

salvus esse non poterit.

Longissima potatio

sit nobis salutatio:

et duret ista ratio

per infinita secula.

Amen.

3. King Canute seeks a wife

Omnibus itaque rite dispositis, nil regi defuit absque nobilissima coniuge; quam ubique sibi iussit inquirere, ut inventam hanc legaliter acquireret, et adeptam imperii sui consortem faceret. Igitur per regna et per urbes discurritur, et regalis sponsa perquiritur; sed longe lateque quesita, vix tandem digna reperitur. Inventa est vero haec imperialis sponsa in confinitate Galliae et praecipue in Normandensi regione, stirpe et opibus ditissima, set tamen pulchritudinis et prudentiae delectamine omnium eius temporum mulierum prudentissima, utpote regina famosa. Propter huiusmodi insignia multum appetebatur a rege, et pro hoc praecipue quod erat oriunda ex victricis gentis, que sibi partem Gallie vendicaverat invitae Francigenae et eorum principis. Quid multis immoror? Mittuntur proci ad dominam, mittuntur dona regalia, mittuntur et verba precatoria. Sed abnegat illa se unquam Chnutonis sponsam fieri, nisi illi iusiurando affirmaret, quod numquam alterius coniugis filium post se regnare faceret nisi eius, si forte illi Deus ex eo filium dedisset.

4. Ops, the goddess of Plenty, and her love for Atis (Attis)

De eadem vero Ope quaedam Remigius evidentiora proponit. Ait enim: Saturni conjunx Ops grandaeva dicitur et corpulenta mater, quod ipsa est terra omnium procreatrix; corpulenta ideo quod elementum terrae crassius et corpulentius est ceteris. Vestem habet discolorem, gemmis et metallis ornatam. Haec enim in visceribus terrarum vel harenis colliguntur; sed et superficies terrae herbarum et florum varietate vestitur. Haec et Cybele quasi *Cubele* dicta est. Terra enim nihil est solidius in elementis. Cubum namque *solidum* dicunt; unde et solidos numeros *cubos* vocamus...De eo autem, quod Atin amaverit, tantillum tradit Remigius. Atis, inquit, *flos* interpretatur, in cuius figura sol accipitur. Ipse enim et flos et princeps stellarum et causa omnium florum est. Quem amavit Berecynthia, id est terra. Terra enim, constricta frigore hiemis, relaxari et refoveri solis calore desiderat. Iohannes tamen Scotus Atin *puerum, impetum, sive proximum* dicit interpretari.